



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 50. Pax Polonos inter & Teutonicos restituta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

bris gloriosus ingreditur, velut Gallicæ Sæcul. XV.  
 libertatis vindex ubique proclamatus. A.C. 1411.  
 Ex illo temporis articulo Aurelianensis  
 factio numero & potentia decreſcebat,  
 caſtrumque S. Clodoaldi, deſideratis plus-  
 quam nongentis Nobilibus Aurelianenſi  
 Duci adhærentibus, recuperatum, atque  
 ipſe Dux Urbis Pariſienſis obſidionem  
 ſolvere coactus eſt, demum apud caſtrum  
 S. Dionyſii collectis exercitus ſui reli-  
 quiis turmatim omnes beneficio pon-  
 tium, quibus ſequanam jungebant, ſeſe  
 præcipiti fuga proripuerunt.

§. L.

*Pax Polonos inter & Teutonicos  
 reſtituta.*

**H**oc anno Poloni cum Equitibus Teu- Blagoff. de  
 tonicis, conciliatore Alexandro Vi- reb. Pol.  
 toldo magno Lithuaniz Duce, Torunii l. 17. p. 278.  
 pacem inibant, cujus articuli ſequentes  
 erant: Poloniz Rex, quicquid in Pruſſia  
 conquiſivit, Equitibus reſtituat; omnes  
 Commendatores, & Equites captos in  
 libertatem aſſerat; Ordo Teutonicus cer-  
 tam pecuniæ ſummam pro lytro Ladis-  
 lao Jagelloni Poloniz Regi pendat; E-  
 quites Samogitiam Duci Lithuano,  
 quamdiu in humanis aget, cedant, ea ta-  
 men lege, ut eo fatiſ functo ad Equites  
 redeat. His Scriptorum nonnulli duas  
 ſubjun-



Sæcul. XV.  
A.C. 1411.

subjungunt pacis condiciones, quarum prima erat, quod articuli controversi sententiæ Pontificis tanquam Arbitratoris subjiciantur; Altera vero, quod Stolpiæ & Massoviæ Duces necnon Sigismundus Hungariæ Rex, si ipsis huic paci accedere placuerit, sub eadem comprehensi censeantur. Pace ita conclusa Poloniæ Rex Legatos suos ad Joannem XXIII decernit, quos quidem summus Pontifex perbenigne excepit, nunquam tamen adduci potuit, ut sacræ contra Tartaros expeditioni, quam legati nomine Regis petebant, consentiret, quoniam adversus Ladislaum Neapolis Regem jamjam sacram ejusmodi militiam indixerat, seu verius, quia Sigismundus & Equites Polonorum desiderio obluçtati fuerant, veriti, ne Rex Poloniæ hujus belli obtenta arma contra ipsosmet converteret.

§. LI.

*Bellum sacrum a Joanne XXIII. in  
Mauros decretum.*

Eodem anno Joannes XXIII aliam sacram expeditionem decrevit, quæ honorificum magis præseferbat titulum, ac illa contra Ladislaum indicta; hac enim conatus erat Maurorum Granatensium insultus frangere, qui in Castellæ regnum irrumpentes, Christianos immani cæde afficie-